

De Fr. novitio Iosepho Hildebrand, vexillario defunctorum Wittemiensium, eiusque amico Fr. Iacobo Ingendaaij P. Heilig mira refert

Priusquam relationem infra legendam prima vice publicemus, dicamus nonnulla de tribus sodalibus ibi commemoratis.

1. *P. Michael Heilig*, auctor relationis, est unus ex eminentioribus Instituti sodalibus. Nazione erat Germanus, natus in Suevia (Württemberg) 7.IX.1808, mortuus in Vaals 30.VIII.1887. Ut erat homo « supernaturalis », a. 1846 praeerat magno collegio Wittem, item tunc supernaturali. A. 1847 suscepit regimen Provinciae Belgicae, quae suas domos habebat etiam in Hollandia et Anglia et Statibus Foederatis USA. A. 1849 Paganos profectus est unus e Consultoribus Rectoris Maioris P. Trapanese, ibique mansit usque ad 3.IV.1850. Decembri ejusdem anni nominatus Consultor Vicarii Generalis P. Smetana, simul fuit Superior hospitii Coblenz. Aprili 1854 cum P. Smetana Romam venit, et anno insequenti ut Consultor Generalis ex officio Capitulo generali interfuit, fungens simul munere Secretarii. Capitulo finito per quadriennium adscriptus erat communitati Luxemburgensi. A. 1859 fundavit Aquisgrani novam domum et a. 1873, patria expulsus, domum Vaals. Senex per ultimos septem vitae annos gubernavit totam Provinciam Germaniae Inferioris. Vox Germanica *heilig* significat « sanctus », et P. Ignatius Jeiler O.F.M. scribit in vita Famulae Dei Francisciae Schervier se in tota vita non cognovisse religiosum Patre Heilig sanctiorem.

Hae notulae conferunt quoque aliquid ad cognoscendam historiam Congregationis elapso saeculo adeo complicatam.

2. *Fr. Iosephus*, in saeculo Ioannes *Hildebrand*, natus est 20.XII.1815 in Neuwidit Rhenaniae, archidioecesis Coloniensis (2). Parentibus Antonio H. et Christina Becher mature orbatus, assumptus est quasi filius a bono cive Coloniensi. Artem fabri lignarii optime didicit, uti demonstrant adhuc in refectorio Wittemiensi murorum tabulatio et pulpitem lectoris. In saeculo inter aequales eminebat suis illibatis moribus et sua insigni pietate. Piorum sodaliciorum exercitiis interesse in deliciis habebat aliosque ad idem exhortabatur. Viam consiliorum evangelicorum in Instituto Alfonsiano appetens, 16.VII.1844 patriam, ubi nondum erat domus Congregationis nisi in longinqua Altötting, genereose reliquit et collegium Hollandiae Wittem petiit. Festo S. Ioseph. 19.III.1844 sacra veste indutus est, sed iam 26.VI.1845, vota nondum professus, vitam terrenam finivit. In novitiatu omnes,

intra claustra et extra, in eo admirabantur obedientiae simplicitatem, fraternam caritatem, studium orationis et laboris, praesertim autem singularem oculorum modestiam. Hieme 1844-45 iussus est assistere Fr. novitio Iacobo (de quo plura infra), gravi morbo affecto. Fr. Iacobus quidem convaluit, sed Fr. Iosephus, qui in pervigilio novi anni sortitus erat virtutem sese praeparandi ad bonam mortem, mense Iunio 1945 correptus est febris putrida, qua eius valetudo fortis brevi ad nihilum deducta est. Vespere diei 25 Iunii omnibus morientium sacramentis munitur, tum sensibus destituitur, ita ut vota iuxta nostra privilegia emittere nequiret. Post duram agoniam nocte 26 Iunii, fer. VI, decessit, primus communitatis Wittemienseis alumnus, qui hanc vitam terrestrem cum aeternitate commutaverit. Catalogus collegii W. ei tributi hoc breve elogium: « Novitius pius, laboriosus, et dulcis moribus » (1).

Has notitias e chronicis Wittemienseis diligentissime transcripsit Chronista domus R. P. L. Dankelman, adiungens aliquid notatu dignum de sepultura collegii. Etenim, quo tempore Fr. Iosephus mortem occubuit, nostri nondum habebant ius propriae sepulturae ab auctoritate civili recognitum, ita ut provisorio tantum modo potuerit sepeliri cadaver Fratris in subterraneo loco pristini conventus Capuccini. Libellus quidem supplicis missus est ad regem, sed negotium etiamtum erat pendens, cum 15.III.1846 ibidem mortuus est Fr. cl. Laurentius Gossens (natus 20.XI.1822 Aquisgrani, Trudonopoli prof. 15.X.1843). Is in vigilia sui obitus regabatur, ut post mortem hanc rem cordi habere pergeret, et ipse, ut erat Sancto Ioseph devotissimus, promisit se rem huic glorioso Patriachae commendaturum esse. Revera ipso festo huius Sancti rex nomen suum apposuit benigno rescripto, quod festo Annuntiationis Wittemium allatum est (2).

3. Fr. Iacobus Ingendaaij, qui item in sequenti relatione Patris Heilig tantam partem habet, natus est 2.XI.1818 in Goch Rhenaniae Inferioris, dioecesis Monasterien. (Münster). Inter candidatos coadiutores Wittemii assumptus 4.VIII.1842, sacra veste ibidem induitur eodem die quo praedictus Fr. Iosephus, i.e. 19.III.1844. Alterum suum tirocinium Trudonopoli perfecit ibique vota nuncupavit 25.III.1847. Fere semper infirma utens valetudine, magnos suos dolores magna tolerabat patientia, in omni re perfecte subiectus divinae voluntati. Necrologium eius Wittemiense (3) insuper extollit laudibus eius caritatem fraternam, modestiam, pacificam hilaritatem, studium orationis meditationisque; P. Heilig autem, eius Superior, praesertim laudat in eo cordis simplicitatem eumque hominem vere sanctum appellat. Omnes quoque admirabantur eius tenerum amorem erga Matrem caelestem Mariam. Die 10.I.1855 Wittemii ultima sacramenta recepit et diuturno morbo plane consumptus, d. 4 Aprilis eiusdem anni, fer. IV Hebdomadae Sanctae, spiritum Creatori reddidit adeo tranquille, ut nosocomus id vix perciperet.

His praemissis exhibemus relationem Patris Heilig e Germanico in latinum conversam. Romae est apographum; autographum in archivo Vindobonensi esse dicitur.

De collegio Wittem

Die 26 Ianuarii [1846] miseramus nostrum Fr. Iacobum, novitium conversum, Galopiam (Gulpen) ob certum negotium. Cum ibi diutius ei commorandum esset, reverti domum non potuit nisi ca. h. 6 1/2, cum caligines iam inceperant. Bonus Frater tunc ipsum occupabatur recitando Rosario pro Fr. Iosepho, die 26 Iunii anni superioris defuncto, cum extemplo quidam vir eum sistere

(1) Arch. Witt. Cat. Fratr., p. 5, n. 17.

(2) Arch. Witt., Necrol., I, 4-5.

(3) L.c., p. 27.

iussit. Exterrefactus Frater sese Deo commendavit. Iste vir accurrit et ab eo aut pecuniam aut vitam postulat. Fr. Iacobus iterato asseverabat se non habere pecuniam. Tunc latro a minis pervenit ad facta. Arripit Fratris brachium, in humum eum proiicit, horribili fuste adeo eum percutit, in facie quoque, ut sanguis ex ore et naribus profluat.

Cum latro ferire pergeret, Frater putabat mortem esse vicinam et ad se praeparandum eliciebat in corde actum contritionis. Iam incipit animus eum deficere, cum cessant percussiones, fugiente latrone. Sentit se ab aliquo e terra attolli. Erectus aperit oculos, quos eousque clausos tenuerat, et ante se videt defunctum Fr. Iosephum eodem modo vestitum ac tempore peregrinationis terrestri: nostra veste talari, cingulo, magna Rosarii corona, at tanto splendore circumdatum, qualis in hac terra non videtur; et in beati Fratris pectore mire fulgebat sacratissimum nomen Mariae. Qui aspectus Fr. Iacobum prorsus non perterruit, sed, sicut ipse mihi dixit, ei fortem animum equi indidit.

Beatus Fr. Iosephus eum interrogavit: « Ut vales, Frater Iacobe? ». (Huius responsum in copia Romana desideratur, sed ex contextu apparet eum sic fere respondisse: « Tu ipse vides, quid mihi acciderit »). Tum beatus amicus prosequitur: « Deus hoc permisit; sed ego veni ut tibi succurrerem simulque promissum tibi olim datum solverem ». Quaesivit Fr. Iacobus, num iam purgatorio exiisset, et ille respondit: « Sabbato proxime elapso (24 Iunii) caelum ingressus sum, et nunc sum apud Mariam, cuius pulchritudo et gloria superat omnes conceptus ». Duo amici deinde colloquuntur de Beatissima Virgine; sed cum Fr. Iacobus conversationem diutius protrahere vellet, beatus Frater ei dedit aliquam exhortationem, et obmutescens ac recedens ex eius oculis evanuit. Bonus Fr. Iacobus, solacio refectus, suum iter prosequitur, et postquam in praeterfluente rivo se lavit, domum redit, nullum iam sentiens dolorem.

Hic notandum est duos Fratres novitios sese in vita multum amasse (amore supernaturali) et in suo religionis fervore unice de rebus spiritualibus collocutos esse. Cum Fr. Iacobus quondam gravi morbo decumberet et Fr. Iosephus iussus esset cum infirmo confratre exercitia spiritualia perficere, inierunt hoc pactum mutuum: Qui e duobus fuerit superstes, debet semper pro defuncto orare, et hic superstiti debet [Deo id permittente] indicare diem, quo poenis purgatorii liberatus fuerit (1).

Hoc factum non est notum nisi in nostra domo, et permultum contulit ad excitandum magnum studium orandi pro animabus purgatorio detentis. Ceterum noster Fr. Iacobus pleno vocabuli sensu est sanctus, cordis simplicitate eminens similiter ac S. Franciscus Assiensis. Adhuc in una gena signum vulneris tunc

(1) Etiam necrologium Fr. Iosephi in archivo Wittemiensi adservatum de hoc pacto loquitur, non vero de prodigiosa apparitione post mortem iuxta initum pactum. Attamen P. Heilig est testis omni exceptione maior.

recepti gestat; etiam quattuor ex eius dentibus valde concussi sunt receptis ictibus. Debeo adiungere, quod iuxta relationem Fr. Iacobi fide dignam beatus Fr. Iosephus ei dixerat: « Citius poenis purgatorii liberatus fuisset, si plures orationes pro me essent fusae ».

(m.p.) P. HEILIG

(m.p.) Conformis P. PASSERAT C.SS.R.

Patet *Analecta* haec publicare in plena obedientia erga nota decreta Urbani VIII, et suum quemque ius retinere pro libitu de talibus rebus iudicandi. Praedicatorum autem nostri eiusmodi relationes fide dignas certe amant. Conferunt quoque aliquid ad nostri dilecti Instituti historiam. Quis enim nostratum antea aliquid sciverat de his duobus Fratribus laicis tanta virtute eminentibus?

Aliud quoque liceat addere. Nonnulli Fratres coadiutores nostri lamentantur, quod *Analecta* nihil ipsis utile contineant. Non est ita; at Fratrum Praefecti has res, *in linguam vulgarem versas*, cum bonis Fratribus communicare debent.

C. HENZE
